Noverint universi quod nos Beatrix dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde attendentes quod dictum
monasterium habet satis prope civitatem Gerunde joveriam vocatam de monte tribio cum suis terris honoribus
et pertinentiis suis attendentes etiam quod consideratis sumptibus qui pro laboratione ipsarum terrarum et honorum
et cultivatione ipsius joverie fiunt annuatim et fieri habent melius utilius et fructuosius est pro monasterio multiplicatione
dicta joveriam cum terris honoribus et pertinentiis stabilire seu ad emphiteosim concedere sub
certis censibus quam ad propriam laborationem retinere vel etiam ipsam ad laborandum concedere habitis super
predictis et quolibet predictorum diligenti et frequenti consilio deliberatione et tractatu cum conventu
nostri monasterii propter eam more solito convocato et congregato. Idcirco ipsius monasterii utilitate attenta
de consensu voluntate et consilio dicti nostri conventus et etiam de auctoritate et expresso assensu re-
verendi patris in Christo domini Gastonis miseratione divina episcopi Gerundensis gratis et ex certa scien-
tia per nos et succedentes nobis in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accap-
tum vobis Raymundo de Cabrava carnicerio Gerunde et vestris perpetuo unam fexiam terre prout est
signata et terminata ex pertinentiis dicte joverie. Que fexia affrontatur ab oriente in stabilimentis Petri
Capaler mediante carraria et a meridie parte in rocosa dicte joverie et partim in campo Petri Capaler. Ab occi-
dente in stabilimentis campi Corney mediante carraria et a circio in stabilimentis Arnaldi de Torrere. Predic-
tam siquidem fexiam prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus integritatibus et proprietatibus
suis intrantibus exitibus et pertinentiis suis universis et singulis et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi
factis et decetero faciendis vobis dicto Raymundo de Cabrava et vestris perpetuo damus et concedimus ad em-
phiteosim sive ad accaptum. Salvo tamen iure et directo dominio dicti monasterii et tam in terciis laudismis
foriscapiis emparis faticis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinere noscuntur. Dabitis propterea
nos et vestri nobis et nostris succedentibus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum Petri
et Felicis duas migerias frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad mensuram Gerunde se ipsas deffen-
dentes in foro allatas vestris sumptibus in dicto monasterio. Et sit sub dictis modis et condicionibus consti-
tuimus nos dictam fexiam terre nos vestro ...orumque nomine possidere donec eiusdem rei possessionem tam de
iure quam de facto adeptus fueritis corporalem ingredi intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis
et vestris damus et conferimus potestatem ad faciendum inde omnes vestras voluntates retentis tamen condicionibus predictis.
Et sit per nos et nostros succedentes in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supra-
dicta rata et firma habere tenere et servare et predictam fexiam cum suis iuribus vos et vestros semper facere
habere tenere et etiam deffendere in pace contra cunctas personas et inde vobis et vestris firmiter teneri de
evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis attendendis et complendis obligamus
vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presentia et futura. Pro huiusmodi vero concessione huius et
recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii centum quindecim solidos barchinonenses renunciando exceptioni pecunie non
numerate et non recepte et doli. Et ego dictus Raimundus de Cabrava laudans et concedens omnia supradicta pro-
mitto vobis dicte domine abbatisse et succedentibus vobis in dicto monasterio dictum censum duarum migeriarum
frumenti annuatim solvere termino supradicto allatas ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo
vobis et vestris dictam fexiam terre cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero facien-
dis. Quod fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa quam a dicto Raimundo firmatum et laudatum V nonas
octobris anno domini Mº CCCº XXXº tertio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de ... presbitero de capitulo et
Petro de Villarino clerico et Arnaldo de Torrere Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum
more solito congregatum in capitulo dicti monasterii laudata concessa et approbata et etiam postea predicta omnia
per dictum reverendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et approbata IIII idus octobris
anno domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palarolo sacristano et Bernardo de la
... presbitero de capitulo Gerundensi. Et similiter Arnaldus de Torrere baiulus dicti monasterii predicta fir-
mavit pro baiulo coram testibus supradictis.

Signum Petri Massaneti notarii publici substituti auctoritate venerabilis Bernardi de Roylano notarii
Gerunde publici qui hoc scribi fecit et clausit.

Nº 55. CTORS f. 81

[illegible] campo de [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]

nº 664

AC f. 35 Nº 7 [illegible] Plech 5 de diferents peças de terra de la Guaria de Monteixini

Stabliment fet de una pessa de terra de pertinensia [illegible] [illegible] montiriv a Ramon de cabrera, per lo qual fa de cens dos migeras de formen. A 3 8bre 1333.

T. 480 x 246

(693)